BREVIARIUM DIOECESIS SALISBURGENSIS
Seckau, 1388 Seite 274r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8259
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Iulianus ait. Decem diebus ante ub
dantur induciae ut de salute uestra cogitan
tes sponte ueniatis ad me. Paulus
et Johannes dixerunt. Hos decem dies quasi
preterisse nobis existima. et quod post
decem nobis facere uolueris hodie facito.
Iulianus dixit. Decima die uenietis
ad me. ut amicos uos habeam. Si autem
non uenietis. quasi hostes publicos uos
puniam. Et tunc sancti uiri. Johannes et
Paulus omnes quos poterant xpianos
ad se uenire fecerunt. ordinauerunt uitam
suam. et incessanter die noctuque elemo
sinis insistebant erogandis. Die uero
decima missus est ad eos terencianus
campi doctor cum aliis militibus. et inue
nit eos orantes dixitque eis. Dominus
noster Iulianus statunculam auream io
uis ad uos misit. ut adoretis illam.

274